QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 16 Novembris 1718.

M. LUDOVICO-CLAUDIO BOURDELIN, Doctore Medico, Præſide.

Utrùm naſcenti crudo pulmonis tuberculo aquæ potus?

I.

PULMO eſt aſpera arteria prolongata; illa ſi quidem in duos 1° dividitur ramos, qui in minores poſtea, & demum in infinitam minimorum ramulorum ſylvulam ſcinduntur. Exiguus quiſque ramus deſinit in membranam ovalem in diſtento, plicatam & contractam in vacuo Pulmone. Hi canaluli Bronchia vocantur. Ita ſunt diſpoſiti, unus quiſque ut ab uno latere arteriolam, ab alio venulam ex Pulmonalibus arteriâ & venâ ortam habeant. Adſunt præterea glandulæ majores in majoribus, minores in minimis ramis. Quaſdam (adeò ſunt exiles) non niſi ope Microſcopii detegas. Hæ humorem per cribra tenuia ſecernunt, qui quandiu innatâ pollet fluiditate, abluendis & emolliendis partibus inſervit. Quo enim pacto ab aëre frigido & ſicco impellente in Pulmones, illi non indurarentur, niſi pro balneo & linimento accederet humoris cujuſdam fluidioris & viſciduli beneficium. Sunt & vaſa lymphatica quæ ductus ſanguiferos ubique concomitantur, donec collecta in quoſdam trunculos, ſeroſi laticis è pulmonibus reſiduum ductui thoracico infundant. Apparent demum nervi numero complures. Hi vaſa ſanguifera lymphatica & Bronchia, variè ſuper ſcandunt, ligant, atquè inter ea diſſeminantur. Hanc Pulmonum compagem inveſtit membrana duplex, 1ª, quæ eſt exterior, videtur nervorum intexta filamentis, & nervea eſt. Interior altera craſſior paulò & aſpera non nihil, ex vaſorum veſicularumque extremitatibus conflatur. Artificioſam illam Pulmonum fabricam intrat aër, gravis, fluidus, elaſticus, permeat, premit, dilatat. Motûs continuâ altetnatione à ſolidis fluida in Pulmone contenta, diverberantur propelluntur. Liquidi partes immutantur, imminuuntur variè. Hinc in ſecretiones apparatus; inde ſanguinis rutilans color. Ibi ipſius elaboratio & officina. Reciproco nimirum impulſu aëris, veſiculæ pulmonales diſtenduntur & concidunt. Ab iis eâdem lege agitantur, & innumeris ſuccutiuntur motuum determinationibus fluidorum particulæ in vaſis interſtitia veſicularum pererrantibns contentæ. Ita ut ſi quæ partes ſanguinis, ſyſtoli & diaſtoli cordis effugerint, Pulmonum anguſtioribus in Mæandris iteratâ multiplici oſcillatione torqueantur ampliùs, & conterantur. Ut quid enim prudens natura, nec quidquam molita incaſſum, maſſam ſanguinis nutriendo corpori, & peragendis functionibus deſtinatam per Pulmones agi totam voluit, niſi ut eidem elaborationis ulterioris perfectioriſque nova ibi fiat acceſſio. Unà cum aëre, ſed diverſis canalibus eunt & redeunt Pulmones, ſanguis & lympha ſecreta à ſanguine. Quæ quidem quandiu eâ, quâ par eſt ad ſanitatem feruntur fluiditate, tandiu Pulmo integer malique purus eſt. Cum autem aut errore aliquo in rebus non naturalibus, aut quovis alio caſu ceſſat conſtans ille ordo & motus; tunc torpent liquores; ceſſat aut ſaltem minuitur ſolidorum robur; referciuntur tenacitate liquoris glandulæ, lympha ibi coacervata ſtagnat, fœta tuberculis concreſcit, ſucceſſu temporis abitura in putredinem.

II.

TUBERCULUM Pulmonis eſt tumor in Pulmone, à lymphâ nimium inſpiſſatâ, in glandulis bronchialibus remorante, ac poſt certum quoddam temporis ſpatium putreſcente, trahens originem. Eò periculoſius malum illud cenſeri debet, quò velut ignis ſuppoſitus cineri doloſo ſerpit tacitè, & obſcurioribus ortus incunabulis toti corpori exitium minatur & affert non rarò. In glandulis ſedem ponit. Inde ipſius à vomicâ diſcrimen, quam veſiculis innaſci

pulmonalibus suspicandi ansam præbet spiritus gravè olens, à puris fœtore aërem è Pulmonibus expulsum inficiente ortus. Glandulæ Pulmonis angulis asperæ arteriæ in ramos divisæ adjacent; nulla ipsarum cum aëre externo communicatio. Unius glandulæ infarctum sequitur alterius oppletio: Quoad ferali serie plures simul obstructæ tuberculum efforment. Per 12 aut 14 dies ex * Hippocrate augetur, & post ruptionem ex eodem Hippocrate ad 40 usque suppurat. Signa nascentis tuberculi licet vix sensu percipiantur; attendas, & aderunt quædam. Hæc sunt; respiratio ægra paululum, sed sine stertore; Tussis sicca, Pituitæ in grandinis formam concretæ excreatio; Doloris errabundi circa varias pectoris partes molesta & continua sensatio. Levia illa quidem, & quæ semper in eodem ægroto non omnia occurrunt. Requiritur idcirco ad morbi nascentis cognitionem, prudentis Medici acumen & criterium. Respirationem ægram, rectiùs in eo casu à crispaturâ bronchiorum prodire affirmes, quàm à pituitæ copiâ quæ pauca admodum tunc temporis hæret pulmonibus. Hinc licet spiritus sit subdifficilis, abest tamen stertor, aëris sese è lymphæ viscosæ ambagibus expedire conantis impetus. Hinc etiam sicca tussis, ob trachæam arteriam irritatione, & vellicatione continuâ lacessitam. Nec vero hæc sola signa attendenti patent naturæ ministro. Emergit signorum illas altera ex naturâ ægri, ex ipsius conformatione, ex parentum bonâ aut malâ valetudine, ex eorum dispositione ad certos quosdam morbos. Notum quàm facile Phthisici Phthisicos generent. Nota certi cujusdam hominum generis ad Thoracis morbos proclivitas. Sic ex Hippocrate, *libro de articulis*, gibbosi illi duris ut plurimùm tuberculis infestantur, quibus supra septum transversum gibbus imminet. Quibus vero infra, iis vitia Renum & Vesicæ sæpius contingunt. Solis fluidis functiones integræ aut læsæ meritò non ascribuntur, nec meris solidis. Non illæ sine amborum amicabili peraguntur commercio, non sine eorumdem mutuo dissensu debilitantur aut cessant. Dissensus ille, si finis spectetur, consensus est. Utris horum prima mali labes imputanda sit, mittimus Physiologis rimari curiosiùs. Sufficit mutua contentarum & continentium partium in eumdem finem conspiratio. Partium principatûs notione & diligentiori indagatione, nec Medico major in medendo securitas, nec ægro promptius aderit levamen. Solidis tamen primas deferre suadent mechanica partium structura, cor musculari vi contractile, arteriarum tubi elastici, ab iis pendentes functiones, sanitas, vita; Glandularum varia incernicula, minimorum vasorum sanguiferorum & lymphaticorum meatus variæ tenuitatis; diversæ in diversis hominibus eorumdem alimentorum productiones in statu morboso & sano. Ut quid ille ex eo cibo succum laudabilem elicit, è quo alter nihil eruit nisi crudi & indigesti? Ut quid eadem vel minutissima terræ gleba frumentum fert & aconitum? An hoc à fluidis solis prodire, ille affirmabit, cui perspectus naturæ constans tenor & eadem semper in operando simplicitas.

* Lib. 2. de Morbis.

III.

LYMPHA, liquor ille proxima nutritionis materies, partibus constat glutinosis, fluidis tamen, ut pote quæ vasa corporis minima permeent. Levi igne ad instar ovi albuminis concrescit; albumine tamen ovi fluidior, partium corporis nutritiarum reparatrix est, & promptuarium. Illa continuam utriusque transpirationis jacturam resarcit; ad quod opus requiritur & partium dispositio, & idonea ad varios recessus configuratio. Si tenuior, avolat; si crassior, arcetur; unde modus, quem ultra citraque nequeat nutritio consistere. Cùm autem ad illum pervenit lympha crassitiei gradum qui procreando tuberculo aptus est, non aliunde quam à diluentibus remediis tentandum est levamen. Quæ quidem non sine delectu propinanda sunt: quædam enim noxâ non carent. Potulenta omnia ex plantis mucilaginosis aut similibus extracta in usum non adhibeat qui morbum sanare aggreditur. Nisi æger robustiorem nactus sit stomachum; quod rarum in tuberculosis. Viscosis enim partibus horum potulentorum gravatur stomachus; chylosis impeditur. Inde depravati humoris fons inexpletus. Sales involvuntur pinguioribus particulis, non destruuntur. Liquoris lentore irretiti larvatique tantùm, viâ circulationis ad partem affectam ut ad cæteras deferuntur; apti qui inspissentur, & obstructione meatuum nacti remoram, sistant. Hinc mali augetur vis efferа; tuberculi formatio, augmentum, suppuratio accelerantur. Remediis utendum quæ simplicissima sunt. Frustra primævam illam simplicitatem in iis quæras, quæ tribus è regnis eruuntur. Aderunt semper sulphura & sales. Hi coagulant, illa obstruunt. Ex his omnibus potubus qui ad debellandum huncce affectum præscribi possunt, aqua primas obtinet. Illa siquidem partibus lævibus prædita & instar anguillarum lubricis, intra lamellas salium serpit. Sales in minima divisi spicula dissolvuntur. Sanguis dissolutis quibus scaturiebat salibus, jam nihil ad partem læsam defert, nisi blandi. Ex appulsu continuo talis lymphæ duplex utilitas percipitur. Non appellit de novo ad Pulmones materiæ morbosæ copia; & illa, si qua sit, quæ jam moretur in glandulis, lymphâ dilutiori paulatim emollita per transpirationis vias foras amandatur. Cavendum ab iis omnibus quæ, ut aiunt, apta sunt frangendis viscosis humorum partibus. Ea enim non sunt nisi salia, quæ spiculis dum agunt in fluida, non possunt in solida non agere. Talium usu remediorum citiùs a-

tis & contractis de novo fibris, morbus recrudescit potius quàm tollitur: cùm enim tuberculum Pulmonis idem sit quod Phyma in aliis partibus, eandem desiderat curationem. Quis verò adhibitis violentioribus medicamentis remorantem v. g. in glandulis intestinalibus materiam solvere tentaret? unde nam corpora robustiora sanantur potius longo usu aquosi medicaminis, quàm Cathartici aut Emetici vehementioris impetu nimiùm præcipiti? nisi quod vellicata crebris irritationibus fibra in sese retrahatur, & imminutâ canalis diametro cœcis comprehensam in anfractibus materiam strictiori nexu constringat. Nec minùs ex simplici nostrâ diætâ, quàm ex quovis alio pharmaco, Medico debet accedere gloriæ. Quis Medicus? ille cujus consilio & jussu ea assumuntur aut rejiciuntur, quæ aut prosunt aut nocent. Non idcircò sanant medicamenta, quòd è longè petantur; nec apud sanos major est è longinquo reverentia. Nonne choleram morbum solvit sæpissimè frigidæ vulgaris haustus. E successu felici debet æstimari remedii pretium; nec à potu chymicis è præparationibus conflato, & immensâ remediorum conglomerato farragine debet expectari certior salus, aut celerior. Simplici methodo operetur, qui naturæ simpliciter operantis minister est.

IV.

UT in aliis omnibus morbis, sic & in Pulmonis tuberculo, ex insensili perspiratione non parùm damni imminet, aut percipitur utilitatis. Insensilis perspirationis ea copia est, quæ ex Sanctorio die unicâ par sit excrementis alui quindecim dierum. Perspirationis necessitatem probant & evincunt ex ipsius æquo effluxu exsurgens sanitas, imminutum eundem morbus, retentum & omninò impeditum mors subsequens. Intercepta in Cerebro perspiratio Apoplexiam, in Corde Palpitationem, in Pulmone Tuberculum, Vomicam, Asthma, Inflammationem, in aliis partibus varia Phymata procreat, Abcessus, verbo dicam, morborum catervam omnem. Pulmo ex omnibus corporis partibus maximè perspirat. E corpore in statu salubri uno die 50. unciæ materiæ perspirabilis exhalant: E Pulmone 8. id est, sexta circiter pars totius corporeæ perspirationis; patet illud speculo ori apposito, & condensatis illius ope vaporibus & halitibus è Pulmone exspirationis tempore expulsis. Duplici potissimum de causâ in Pulmone, ut in reliquo corpore, imminuitur perspirationis salubre effluvium. Una exterior est, interior altera. Fibræ corrugatæ nimis, Lympha spissior, intus eam retinent. Extus retundit aër frigidior. Utrique causæ nullum esse aquâ remedium præsentius ex supra dictis colligas. His procul dubiò adductus argumentis Magnus Hippocrates ubi loquitur de nostro tuberculo, aut huic ortu similibus cæteris Pulmonum morbis, præscribit balneum aquæ calidæ, sorbitiones, aquam mulsam. Sorbitiones eò videntur collimare, ut cùm medium quid sint cibum inter & potum, faciliùs à stomacho debili subigantur. Secùs enim à chylo crudo materiæ morbosæ novum fieret additamentum. Aquâ mulsâ Sanguinis & Lymphæ compagem dilutiorem blandiorem reddi voluit. Balnei verò quinam est usus, nisi relaxandi & emolliendi? Unde & solidis tonus salubris solitusque restituatur, liquidis diverberatio fortior accedat, major fluiditas, partium perspirationi dicatarum uberior exhalatio. Sublato aquæ potu, ea nocent, quæ cum aquâ prosunt sæpissimè. Equitationem pectoris affectibus plurimis convenire apud Artis Magistros in confesso est; tum ob motum illius ope toti corpori & Pulmonibus impertitum; tum etiam ob situm crurum & tibiarum. Illæ enim pendulæ dum equo insidimus, sunt veluti via regia quâ humores nocivi, ex superioribus corporis partibus detrusi, & ruentes, minori negotio eliminentur. Tibias & crura non nihil cum pectore consentire quis negaverit? Qui Phthisim incipientem cauterio Tibiæ inusto sanatam fuisse perspectum habuerit: & occluso illo itinere iterùm ingruentem, eodem remedio iterùm fuisse aversam. Equitationis igitur labor aliàs saluberrimus, absque aquâ fit insalubris. Illo exercitio indurabitur Lympha in Pulmone morata, & vergens ad concretionem; si quid enim liquidi restabat quod potuisset eam diluere, illud perspiratione copiosiori & intempestivâ in auras abibit. Supererit tantùm pars crassior, morbi causa & augmentum.

V.

A VINO temperet qui de sanando in primis incunabulis tuberculo cogitat. Noxium est omninò sive spectes ad solida, sive ad fluida. In illo morbo contentæ partes inspissatæ egent dissolvente, non coagulo. Continentes induratæ & crispatæ, mollitiem postulant, non vellicationem. A salibus vini cujuslibet quid expectandum? nisi totius massæ sanguineæ majus coagulum. Solidis vinum non benignius. Vasa crispat, vellicat, inde motûs liquorum retardatio, perspirationis imminutio. Hinc qui vino aut ex ipso extractis fervidis liquoribus dediti sunt, Arthritidi ut plurimùm patent. Hinc etiam ruptis lymphaticis vasis frequentes adeò in iisdem hominibus pectoris & abdominis hydropes. Non sit metus à vini abstinentiâ ne debilitetur ventriculus. Vino immersæ carnes indurantur, aquâ molles, flaccidæ eva-

dunt. Animantium genus omne ſimplici iſto potu utitur, ſolum hominem ſi excipias. Pecudes vitam degunt aquæ beneficio noſtrâ vegetiorem. At oves, boves, porci, canes tuberculis obnoxii ſunt, teſtantur Anatomici recentiores, teſtatur & ipſe Hippocrates *lib. de intern. affect.* Quid inde? Porci cum omne indiſcriminatim uſurpent alimenti genus, canes iiſdem ferè, quibus nos utimur, veſcantur cibis; mirum ne videri poteſt quòd morbis iiſdem laborent? Oves bibunt aut rarò, aut nunquàm: in illis aquæ uſu, tuberculi peſtis poſſet præcaveri. Quod cum aquæ potu boves tuberculoſi evadant, illud immeritò tribuas aquæ vitio, aut alimentorum quibus utuntur; ſed ſoli ſtructuræ ſolidarum partium. Cur enim, cætera animalia cum eodem potu & paſtu, iiſdem affectibus non tentantur? Vinum quidem Authore Hippocrate propinatur iis quos vexat tuberculum. Fatemur; & ſtabunt tamen inconcuſſa quæ diximus. Tunc enim loquitur de ſuppurato tuberculo, ubi exſiccandum eſt ulcus; nos autem de naſcente. Aqua mulſa, eodem Authore, convenit in hiſce morbis. Nec ratio habenda eſt acidi in melle contenti; quod multâ aquâ dilutum vix aliquid retinet nocivæ indolis, modò eligatur albiſſimum & recens. Præ tamen omnibus aqua leviſſima, limpidiſſima, ſimpliciſſima. Ab eâ nec inſpiſſationis, nec irritationis aut vellicationis periculum. Cùm igitur illius ope diluentis priſtinum fluorem contentæ partes, tonum continentes recuperent, perſpirationis ſalubre effluvium nocivarum partium fugâ mutatis his quæ ſuperſunt procuretur, ſymptomata tuberculi miteſcant, ſigna evaneſcant, morbus ipſe tollatur radicitùs; licet concludere.

Ergo naſcenti crudo Pulmonis tuberculo aqua potus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Jacobus Antonius Millet.	*M. Joannes Matthæus Le Bert.*	*M. Ludovicus Lemery, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Michael Peaget.	*M. Nicolaus le Tellier.*	*M. Petrus le Tonnelier.*
M. Joannes Baptiſta Fauſtus Alliot de Muſſay.	*M. Petrus Afforti.*	*M. Carolus Thuillier.*

Proponebat Pariſiis GUILLELMUS DE MAGNY, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1719.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.